

similmente in Roma nell' anno 1606 l' intiero contesto, in seguito alla bolla da me recata poco dianzi. Anche di esso voglio inserite le parole in queste mie pagine a pieno esaurimento ed a più chiara esposizione di così interessante materia. Dalla stessa edizione pertanto giova trascriverlo.

« Sistus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Qui monitis acquiescere nolunt et mandatis apostolicis obedire, nec ad obediendum minis etiam inducuntur, canonum severitatis in se debent experiri rigorem, ne si universis universalicerent, parvipenderetur in singulis jurisdictione singulorum: et qui nos supra principes sedere voluit et de principibus judicare, spe sua frustretur in nobis, videaturque Petri navicula sine remige navigare. Sane cum superiori anno veneti nostrum Ferrariense territorium hostiliter invasissent et a nobis ut desisterent moniti, et instantissime saepius requisiti, se id non belli gerendi, sed pacis habendae causa et pro jurium suorum conservatione agere affirmarent; ac bellum continue acrius prosequerentur et adeo ultra processissent, ut de Ferrariensis civitatis occupatione in brevi dubitaretur: ne tam longa mora nostra, qui in illorum verbis confidebamus, Romanae ecclesiae damnosa foret, ipsique eorum voti compotes fierent, Ferrariensi civitati praedictae, ne occuparetur ab eis, occurrere etiam cum gentibus nostris armigeris, et alias prout fas et possibile fuit ac tenebatur curavimus: et universali in Italia pace inter aliquos illius potentatus per nos composita eisdem venetis ut a bello praedicto Ferrariensi desiderent et pacem ipsam, quam nos ut inaestimabile bonum fidei catholicae ardenti desiderio ad effectum deducere curaveramus amplecterentur conditionibus eorum et statui et potentatui convenientibus, repetitis nuntiis et litteris persuadere et eos saluberrimis paternis monitis ab eorum belli proposito ad tramitem rectitudinis revocare ardentius non cessavimus. Cumque expectatis pluribus mensibus, nostris persuasionibus obtemperare nullatenus velle et bellum ipsum Ferrariense contra